

147 Si igitur neque deus est effector somniorum neque
naturae societas ulla cum somniis neque observatione
inveniri potuit scientia, effectum est ut nihil prorsus
somniais tribuendum sit, praesertim cum illi ipsi qui ea
vident nihil divinent, ii qui interpretantur coniecturam 5
adhibeant non naturam, casus autem innumerabilibus
paene saeculis in omnibus plura mirabilia quam in som-
niorum visis effecerit, neque coniectura, quae in varias
partis duci possit non numquam etiam in contrarias,
72 quicquam sit incertius. Explodatur <igitur> haec quoque 10
148 somniorum divinatio pariter cum ceteris. nam ut vere
loquamur, superstitio fusa per gentis oppressit omnium
fere animos atque hominum inbecillitatem occupavit.
quod et in is libris dictum est qui sunt de natura deo-
rum, et hac disputatione id maxume egimus. multum 15
enim et nobismet ipsis et nostris profuturi videbamus
si eam funditus sustulissemus. nec vero (id enim dili-
genter intellegi volo) superstitione tollenda religio tolli-
tur. nam et maiorum instituta tueri sacris caerimoniis-
que retinendis sapientis est, et esse praestantem aliquam 20
aeternamque naturam et eam suspiciendam admiran-
damque hominum generi pulchritudo mundi ordoque
149 rerum caelestium cogit confiteri. quam ob rem ut reli-
gio propaganda etiam est, quae est iuncta cum cogni-
tione naturae, sic superstitionis stirpes omnes eligendae. 25
instat enim et urget et quo te cumque verteris perse-
quitur, sive tu vatem sive tu omen audieris, sive immo-